

**De bradyspermatismo seu tardiori seminis emissionem dissertatio medica, /  
quam ... conabitur Michael Perier, ... die mensis Februarii anni 1761.**

**Contributors**

Perier, Michel.  
Ecole de médecine de Montpellier.

**Publication/Creation**

Monspeli : Apud viduam Joannis Martel, ..., M.DCC.LXI.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hw6u5sjj>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
BRADYSPERMATISMO  
SEU  
TARDIORI SEMINIS EMISSIONE  
*DISSERTATIO MEDICA,*  
QUAM

IN AUGUSTISSIMO LUDOVICO MEDICO,

Deo duce, & auspice Dei-parâ, ab horâ octavâ ad  
meridiem, tueri conabitur MICHAEL PERIER,  
Maffiliensis, Author, Artium Liberalium Magis-  
ter, & in Almâ Universitate Monspeliensi,  
jamdudum Medicinæ Alumnus, die mensis  
Februarii anni 1761.

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO,



MONSPELII,  
Apud Viduam JOANNIS MARTEL, Regis, Occitanix Comitiorum,  
& Universitatis Medicinæ Typographi.

---

M. DCC. LXI.
















ILLUSTRISSIMO  
NOBILISSIMOQUE VIRO  
D. D.  
JOANNI DE SENAC,  
REGI A SECRETIORIBUS CONSILIIS,  
ARCHIATRORUM COMITI,  
REGIÆ SCIENTIARUM  
ACADEMIÆ PARISINÆ SOCIO.

*Humillimè*

D. D. C.

Addictissimus, Obsequentissimus  
Servus ac Cliens,  
MICHAEL PERIER.









DE  
*BRADYSPERMATISMO*  
SEU  
*TARDIORE SEMINIS EMISSIONE.*  
I.

**S**PERMA humanum in statu physiologico consideratum, est liquor lymphaticus, lentescens, albidus, morâ subflavescens, odore speciali, ingrato, si diù in suis conceptaculis hæserit, nares vividius feriente præditus, pondere inter liquores humanos maximus, aëris contactu liquefcens, in testiculis secretus, elaboratus, per epididymides & vasa deferentia, quibus adhuc perficitur, in vesiculas spermaticas delatus, ubi collectus, asservatus,



ultimam patitur elaborationem , venere exercitâ per urethram ejaculandus cum vividissimo voluptatis sensu , tandem generationi destinatus. Parte dicitur constare duplici , alterâ halituosâ , subtilissimâ , quæ aura seminalis audit , alterâ crassâ , ovorum albumini simili , priorem in sinu coërcente. Microscopiorum ope corpuscula plurima in semine innatantia ac motu agitata vario observare datur ; quæ aliis vermiculi spermatici , aliis moleculæ organicæ dicta sunt.

## II.

PRETIOSUM hocce fluidum,elaboratione epididymis , vasis deferentibus , vesiculis spermaticis præstitâ crassius factum vix esset permeabile , nisi vehiculi tenuioris ope congruam nancisceretur fluxilitatem. Hinc humor serosus , aliis etiam nominibus valdè utilis , è prostata præsertim , glandulis Cowperi , Litrii , urethræ lacunis depluens , latice infecundo , albido , nares nequaquam ingratè feriente , illud penetrat , diluit , probè satis cum ipso sub ejaculationis tempore permixtus ; neque impedit fluidorum consistentiâ , colore , dotibus diversorum affusio , quin , sanguinis instar è venâ emissi , homogeneous utcumque videatur. Sub liquorum seminalium nomine apud Auctores occurrit multiplex illud vehiculi genus , liquores urethræ mucosi melius dicendum. Fluidum illud è spermate genuino , & lymphâ in



glandulis jam dictis percolatâ conflatum, semen etiam vocari solet, non secus ac humor verè prolificus, desumptâ scilicet à parte nobiliori appellatione.

### III.

MULTIFARIAM peccare potest semen modò descriptum. Omissis, quæ debitas ipsius qualitates mutant, vitiis, neque pathologicè concussâ nimîâ illius copiâ, liquoris hujusce emissionem multiplici modo vitari experienciâ compertum est.

Enim verò nunc semen siye deficiat, siye non, nullum aut paucum emittitur. Hoc affectu laborant anorchides, thlibiæ, castrati, obesi, debiles, diætæ parciore, laboribus durioribus indulgentes, profusionem spermatis maturiorem, nimiam passi, tumoribus testium nonnullis tentati, &c. sæpissimè cum feminis emissi paucitate combinatur tarda ipsius per urethræ orificium excretio.

Nunc in actu venereo voluntariè, pene minimum subarrecto, & cum voluptate saltem aliquali celebrato, citiùs erumpit liquor prolificus. Id vitium in junioribus facit feminis copia, turgescencia, nimia salacitas; in iis verò qui venere abutuntur, liquoris ejusdem fluxilitas, nec-non viarum per frequentiore[m] feminis effusionem laxatarum atonia. In hoc ultimo casu simul adest feminis emissi tarditas.

Modò citra coitum, & plerumque sine tenti-



gine ac voluptate, semen aut liquor analogus involuntariè frequenter copiosè emittitur: gonorrhæa audit, quæ in veram distinguitur, atque spuriam; illi ansam præbente feminis copiâ, acrimoniâ, viarum debilitate; huic verò, humoribus acrioribus catharro, ut vocant, urethræ, viru syphylitico, excerniculorum laxitate.

Modò à nativâ directione aberrat feminis emissi jactus: id vitii inducit orificium urethræ à situ genuino devium, freni brevitatem, quâ deorsum balanus convertitur &c.

Tandem in venere voluntariè, & vigentibus ut plurimum voluptatis sensu, ac penis erectione exercitâ, procraftinatur, moras neçtit, paulatim atque stillando fit feminis emissio. Morbum specie multiplici varium *Brady spermatismi* nomine salutamus.

#### I V.

IN tantâ materiei ubertate præfixi hisce dissertationiunculis limites ire non sinunt per singula: Quocirca tardio rem feminis emissionem seu *Brady spermatismum* suscipiemus tantum pertractandum; cujus, tradito prius generis caractere, distinctione à morbis affinibus, causis, prognosi, atque curatione, species singulas observatione comprobatas recensere, describere, curare animus est. Pathologicis hisce de *Brady spermatismo* Thesisibus, physiologica nonnulla præmittere consultum ducimus, ut



ut scilicet morbi nostri theoriæ lux aliqualis affundatur: Itaque cùm impeditum seminis ejaculandi motum sibi hæ paginæ præscripserint, primùm exarata organorum erectioni penis & spermatis ejaculationi famulantium anatome, pauca dein circa binam hancce functionem ad propositum nostrum facientia addemus, pathologica tandem sectaturi.

## V.

ORGANA generationis negotio inservientia ex parte viri sunt testes, epididymi, vasa deferentia, vesiculæ seminales, penis.

## VI.

TESTES rarissimè nulli, vulgò bini, pauciores quandoque, vel etiam numero plures, mole varii (in ætate perfectâ ovum majoris columbi æquant magnitudine, auctiores quandoque, licet sanissimi) figurâ ovales intra scrotum, quod epidermide, cute, & darto inter duplicem telam cellulosam adipis expertem medio constat, nativè in adultis propendent; alterutro tamen vel utroque in abdomine, vel ad inguina sedem nonnunquam habere viso, quod in pueris ad pubertatem usque frequentius observatur. Sistit fabrica ipsorum interior millena vascula subcineritia, tortuosa, longissima, è lateribus arteriarum spermaticarum oriunda, glomerum intricatissimum efformantia, in corpus Hyg-mori coëuntia, tandem ad epididymes penetrantia mox describendas.



FUNICULUS spermaticus cum testiculo appenso triplex obijcit tunicarum genus. Prima quæ sub erithroideæ nomine venit, verus musculus est, cremaster dictus, qui ex degenerantibus fibris musculorum abdominis obliquorum & transversorum, nec-non ex fasciâ inguinis ligamentosâ oriundus, telâ obiectus cellulosâ subtilissimâ, in vaginam funiculi spermatici expansus præsertim versus posteriora, huic vaginæ dicatus plurimis Anatomicis videtur; potè qui ultra superiorem tunicæ testiculi vaginalis partem non progredia-  
tur sensibiliter : hoc tamen musculo contendunt alii non minoris notæ viri, testem undique ambitum & elevari posse & comprimi.

Sequitur tunica vaginalis testiculo simul & vasorum spermaticorum funiculo communis, telæ peritonæi exteriori continua, ejusque, ut Anatomici loqui amant, propagatio. Hæc cellulis constans aëre insufflato facilè dilatabilibus, funiculum spermaticum amplexa, ad hujus extremum videtur spontè in duas laminas recedere : interior lamina non ulterius progrediens dissepimentum ex lamellis reflexis, strictius adunatis natum efformat; dùm lamina exterior cellulosa, supra testem expansa eum laxè ita obvolvitur, ut, non secus ac cor intra pericardium, in eâ testis contineatur interjecto spatio, in quodhalat vapor visceris hujus mem-



branam propriam, & tunicæ vaginalis superficiem internam madefaciens: duplici itaque celluloso strato vaginalis funiculi spermatici tunica producitur; dùm unico, externo nempe, vaginalis testiculi tunica efformari videtur.

Propria tandem venit tunica testiculorum, albuginea à colore dicta: hæc robusta, dura valdè, testem immediatè amplexa, ejus vasa advehentia & revehentia sustinet, defendit, coërcet; bifariam divisa, intusque subtilior facta, interstitia penetrat vasculorum seminis subcineritiorum, quæ separat, continet; extus verò lævis, madida, validior ab externis injuriis didymos præservat, tuetur, membranæ testiculi vaginalis interiora velamento, quo ea glabrescit, fortè prætendens.

### VIII.

MILLENOS in gyros convoluta, albugineæ parte interiori fulcita; innumeris concamerationibus divisa feminalia vasa videntur omnia coïre in corpus Hygmori, quod cavum negant plurimi, & pro vasorum fulcro tantùm habent. Ibi collecta in sex, septemvè canaliculos, & etiam multò plures juxtà Hallerum, partem epididymi anteriorem seu caput efficiunt. Itaque epididymis verè testis est accessorius, eadem tunicâ albugineâ coërcitus, constans simili ac testis, sed non adeò intricato canaliculorum contextu, qui, post varias complicationes, posteriorem epididymi partem seu caudam



efformant. Pars hujusce modi, quæ rarissimè deficere visa est, versus anteriora & fursùm revoluta, simulquè coarctata vas deferens producit, ope membranæ albugineæ testiculo adnexa, cui juxtà partis concavæ longitudinem laxè, strictius autem versus extrema alligatur.

## IX.

FUNICULUS spermaticus constat, arteriâ, venâ, nervis spermaticis, vasis testium lymphaticis & ductu deferente, erithroïdæâ & vaginali tunicâ obtectis.

Arteria ut plurimùm ab anteriori parte aortæ nata paulò sub emulgentibus, serpentino & obliquo ductu supra uretheres & psoam excurrens, annulum abdominalem subit; & tunicâ vaginali obvoluta ramulos hinc inde ipsi tunicæ, cremasteri, & scroti septo impertitur, antequam testiculum attingat in duos ramos divisa, quorum minor sub epididymo excurrit; alter verò ad imum usque testem penetrat.

Vena spermatica dextra vulgò ad cavam, rariùs ad emulgentem tendit; sinistra verò constanter ad emulgentem sinistram cruorem revehit. Utraque arteriam comitem magnitudine longè superans, mox ab origine cum ipsâ peritonæo involuta, innumeris circa eam divisionibus variè intricatis mirè ludens, plurimis ramorum anastomosis, quas cum arteriâ sibi cognomine respuit, secum communicans, corpus pyramidale seu pampiniforme ferè sola exhibet.

Nervi



Nervi plures exigui, sensu exquisitissimo donati, à plexu renali & à lumbaribus ramis supeditati, multos hinc inde in testiculi tunicas & vasa furculos emittentes, testis intimam substantiam penetrant, & in eam modo inextricabili, visûsque aciem fugiente disseminantur.

Lymphatica testium vasa in chyli receptaculum per annulos abdominales serum revehentia viderunt oculatissimi quàm plures Anatomici : ea sæpè in funiculo spermatico se vidisse ipse testatur Hallerus.

Ultimum vas funiculi spermatici è testiculo, quod ipsi proprium est, semen defert. Ductus ille ab officio nomen habens, epididymo continuus, versus extremum plùs minùs inflexus & ampliat, cavo exiguo semper hiantè pervius, robustis & elasticis membranis donatus, intus lævis ab epididymi caudâ versus inguina ascendit, aliis vasis spermaticis posterior, quibus valedicit trans anulum advectus; hinc ad posteriora vesicæ tendens, ope telæ cellulosæ ipsi adhærens, socio unitus, & cum vesiculis quas transgreditur modo singulari communicans, sibi additâ vesicularum earundem portione, duos canaliculos efficit, qui distincto orificio in urethram aperiuntur.

#### X.

• VESICULÆ feminales duo sunt conceptacula posterius vesicæ fundo adposita, eique adhærentia,



tres digitos transversos longa, pollicem unum lata, ex plurium cordatiorum Anatomicorum consensu membranaceo-musculosa, varios extùs gibbos, intùs innumeros loculos efformantia, & ope telæ cellulosæ superextensæ, atque à peritonæo supeditatæ in brevem, serpentinum glomerem collecta. Vesiculæ interiùs villosæ desinunt in ductus geminos, arctâ interioris lateris unione septum efformantes, & ita cum fine ductuum deferentium communicantes, ut semini è vase deferente in vesiculam sibi respondentem transeunti libera pateat via, dùm nullus vel difficillimus è vesiculæ cavo intra vas deferens ipsi datur regressus. Hi ductus cum vasorum deferentium extremis modo intricatissimo confusi, per prostaticam ad urethram tendentes, in ipsius cavum juxta carunculam distincto hiant foraminulo. Supereſt jam paucis expedienda penis descriptio, in quo considerata veniunt urethra, corpora cavernosa, musculi varii, vasa omnigena.

## XI.

URETHRA est canalis utcumque cylindricus, membranis robustis substantiam spongiosam passim includentibus, & involucris communibus donatus. Hæc substantia quæ prope collum vesicæ deficit, nec-non in toto tractu intimæ adhæſionis urethræ cum corporibus cavernosis, quibus subjacet, est multò copiosior & confertior in bulbo



urethræ & in penis glande : ut enim bulbus textui spongioso incrassato debetur, ita glans efformatur ab eâdem substantiâ versus extrema penis dilatatâ, crassiori factâ, & parumper depressâ. De cætero glans epithelio admodum sensili tecta, sebaceo humore glandularum Tysoni oblinita, corporum cavernosorum extremitati superimposita laxâ cute, seu præputio cooperitur, inferiùsque eâdem stric-  
tiori factâ sive freno alligatur. Urethræ cavitas nativè collapsa, sub potentiali suâ diametro multò major, non ubique æqualis, eminentiam ovali oblongam, verumontanum dictam, posteriùs ge-  
rens, versus balanum in fossulam ampliata, aper-  
turâ oblongâ demùm terminatur. Membranacea tantùm, si plures Anatomicos audias, à Graafio creditur fibris multis carneis è vesicâ urinariâ pro-  
venientibus ditata.

Multiplici oblinitur urethra liquore ex diversis fontibus scaturiente. 1°. In ejus cavum quàm plu-  
rimis foraminulis ad carunculam depluit liquor subspissus, mitis, albidus glandulæ prostaticæ, in-  
ter vesicam & urethræ bulbum inferiùs sitæ, cor-  
dis figuram referentis, partim urethræ principium membranaceum cingentis, superiùsque excavatæ,  
ut vasis ejaculatoriis & urethræ viam cedat. 2°. Li-  
quor glandularum Cowperi inter acceleratores musculos & bulbum urethræ utrinque sitarum,  
fabam æquantium, & distincto orificio in ure-



thram mucum lentefcentem emittentium. Hisce duabus glandulis alteram adjunxit Cowperus, ubi ad pubem urethra incurvatur, locatam, quam lynceis etiam Anatomicis nusquam observare licuit. 3°. Liquor glandulæ Litrianæ obscure rubescentis, pollicem latæ, infra prostatam instar Zonæ urethram cingentis, & in ejus cavum plurimis ostiolis mucilaginosum humorem effundentis, quam prostatæ dumtaxat propagationem esse affirmant graves Anatomici. 4°. Demùm humor exstillans ex millenis urethræ meatibus à Graafio indicatis, & à Morgagnio acuratissimè delineatis: Meatus illos numerosissimos, ab urethræ medio ad balanum etiam confertiores, magnitudine varios, in toto urethræ tractu conspersos dant canaliculi excretorii, à glandulis exiguis, intra urethræ membranas, ejusque spongiosam substantiam disseminatis juxta acceptam opinionem profecti.

## XII.

CORPORA cavernosa in principio divaricata, atque ischii & pubis ossibus, tanquam cruribus, firmissimè alligata, sub pubis commissurâ ad invicem accedentia, & per membranam validam, elasticam, reflexam, ligamentum penis suspensorium dictam, commissuræ hujusce modi arctè unita, ante bulbum urethræ ita conjunguntur, ut septum pervium lateribus interioribus efforment, inferius verò in intervallo ab adunatione relicto urethram recipiant



cipiant stricte vinctam. Hæc corpora membranis robustissimis instructa, & multâ donata spongiositate, pro vasculis innumeris telâ cellulari subtilissimâ fulcitis juxta Fantonum potius habenda, ubique cava, flatu, sanguine facillimè turgentia, inter se per prædictum claustrum, nullatenus verò cum urethrâ, communicantia, ad balanum tandem desinunt, quem in extremo suo rotundato impervio, velut capitulum superimpositum, recipiunt.

### XIII.

MUSCULI penis varii sunt: alii enim corpora cavernosa, alii urethram respiciunt; quibus etiam adde communes alios, necnon peculiare ad profatam pertinentes. Primi duo, sub erectorum titulo venientes, satis validi, ab ischii ossibus profecti, corporum cavernosorum cruribus ad illorum unionem usque apponuntur; quò advecti sese expandendo & decussando sensim desinunt. Hiscè accessorios & inferiores demonstravit alios duos minores oculatissimus Winslowius, qui ab ischio etiam, sed interiùs, orti corpora cavernosa & urethram unâ attingebant.

Ad urethram pertinent muscoli acceleratores, perperam à Graafio urethræ dilatatores dicti, qui prioribus longiores, sed minùs robusti, partim à ligamento pubis interosseo, partim ab ani sphinctere cutaneo oriundi (de horum ortu multa lis est inter Anatomicos) mox decussati, & confusi



urethræ bulbum amplectuntur; dein divergentes supra corpora cavernosa exporriguntur, tendineis fibris ultrà productis terminati.

Musculi transversales seu triangulares, frequentius observandi, quandoque deficientes origine variant; neque semper ab ischii tubere veniunt, non-nunquam ab ani sphinctere, vel erectorum principiis proficiscentes, Sanctorino teste, qui hos etiam in unicum musculum connatos reperiit: attamen triangulares musculi vulgò ab ischio nati ad bulbi urethræ latera tendineâ expansione utrinque applicantur. In causâ fuit triangularium varietas, ut non-nulli ex hisce in unum connatis alium musculum *sine pari* nuncupatum, perperam effinxerint.

Tandem ad prostatam pertinet, 1°. Zona illa fibrarum muscularium à Sanctorino detecta, prostatam inferius amplexa, ab ano veniens, & quasi musculus prostaticæ compressor seu triangularis internus considerata. Hunc prostaticum musculum inferiorem vocat Winslowius. 2°. Par illud musculorum ab eodem Sanctorino detectum, & à Winslowio sub musculorum prostaticorum superiorum nomine designatum, quod ab ischii ossibus pronatum, quâ obturatores musculi interni reperiuntur, ad prostatam, imò juxta Sanctorinum ad urethram extenditur. &c. &c.



ARTERIAS ab hypogastricis præcipuè penis habet: quosdam tamem ramulos exteriores mutuatur ab epigastricis, cruralibus, &c. Aliæ ex his arteriis ad externas pudendorum partes, aliæ ad internas prospiciunt, vigente tamen inter utrasque communicatione.

Venæ arteriarum tractum comitantes, numerosioribus ramificationibus efformatis, in hypogastricas desinunt. Vena notabilior, ut plurimum solitaria, valvulis donata, in medio penis, imprimis rigidi, conspicienda sanguinem revehit in venas circa pubem notabiles, plexumque communem intra pelvim situm producentes.

Nervis plurimis penis insignitur à lumborum & sacri ossis medullâ prodeuntibus, qui cum plexibus mesentericis & magno sympathico communicantes sub pubis commissurâ transeunt: horum truncus major ità ad penis dorsum excurrit, ut arteria nervum inter & venam conspiciatur. Insignis ille nervus in corpora cavernosa extùs & intùs mirè dispergitur: Cæteri etiam nervorum ramuli vasa sanguinea insequuntur, propagines ubique numerosissimas & subtilissimas emittentes. Premissâ partium ex parte viri ad generationem intervientium anatome, prolixâ quidem pro dissertationis brevitate, ast citra obscuritatis periculum, in tantâ dicendorum copiâ, ægrè admodum



contrahendâ, ad erectionem penis & spermatis  
ejaculationem sermonem convertimus.

## XV.

ERECTIO penis ea est functio, quâ rigescit, rubet, induratur, longitudine simul & crassitie adauctis: hanc sanguini corporum cavernosorum cellulas replenti atque expandenti deberi, probant aër, factò ipsis vulnuscùlo, syphone insufflatus, & injecta per arterias hypogastricas fluida, quibus in cadavere pari passu & cellulas præfatas distendi, & erectionem cieri observatur; certò verò statuunt experimenta in animalibus capta coitus tempore mactatis, quibus eadem cellulae sanguine turgidæ inveniuntur. Hinc sequitur præsentè erectione vel sanguinem quantitate nativam superante corporibus cavernosis advehi, dum solitam copiam, vel etiam solitâ majorem, aut influxui adaucto non respondentem ex ipsis venæ reportant; vel ordinariâ per arterias accedente copiâ, vulgari minorem per venas redire; vel tandem adesse & appulsum nativo uberiores, & parciorem solito refluxum; atque ita sanguinis per venas reditum relativè semper imminutum esse.

## XVI.

UT vigeat conditio hujusce modi in intricatissimâ hacce functione necessariâ, ad compressionem in venas à partibus circumpositis factam tanquam ad causam erectionis verosimillimam confugiunt plurimi,



plurimi, quam à fonte eodem non omnes reperiunt, muscutorum scilicet erectorum, levatorum ani & prostatae, imò & vesicam urinariam repletam, vesiculas spermaticas semine turgidas, intestinum rectum fecibus aut flatu distentum variè accusantes. Memoratam venarum compressionem alii non minoris notæ viri locum non habere, aut saltem non sufficere arbitrantur; & exinde non necessariam esse probant, quod in cadavere, citra talem compressionem, liquoris cujuscumque factam in arterias injectionem sequatur erectio; & quod, eadem exulante, erigantur mammarum papillæ, gallorum cristæ, maleagridum carunculæ: Hinc verosimiliùs ipsis videtur erectionem deberi causæ eidem, quâ in partibus modò memoratis erectio cietur, & facies in animi affectibus rubore suffunditur: hanc alii reponunt in ramulis nerveis numerosissimis venas circumligantibus à quorum constrictione arctantur; alii seminùs eam assequi fateri malunt. Circa muscutorum actionem, quæ legitima erectionis causa istis videtur, his verò nulla aut vix attendenda habetur, mediam ineunt nonnulli sententiam, eam scilicet quâ hujus ope, si non produci, saltem adjuvari atque intendi erectionem perhibent; muscutorum contractione pressionem assiduam venæ majori, venis minimis, sinui Sanctorini non tam inferente, quàm sanguinem è posticis corporum



cavernosorum cellulis in anteriores urgente, brevi, sed efficaci, collisione. Non secus ac corpora cavernosa, urethra & etiam erectionem patitur quam eadem, quæ corpora præfata eriguntur, ratione succedere nemo non videt.

Ritè pensitatis, quæ de penis erectione circumferantur sententiis, causam, quæ sanguis inta corporum cavernosorum, & textus urethræ spongiosi cellulas colligitur, nondum manifestam esse ultrò agnoscimus.

## XVII.

MEMBRUM virile arrectum si contemplemur, videbimus, 1°. Corpora cavernosa sanguine repleta rigere, indurari, rubere, elongari, crassescere, in directum protendi, nisi rectitudini obstat mala conformatio aut penis affectus. 2°. Similiter affici urethram. 3°. Canalem hujusce modi nativè incurvatum, collapsum, sectione non ubique æquali instructum, diametro donatum potentiali in pluribus hujus locis pariter diversâ, sub quâ hiatus inter omnes possibiles violentiâ expertes maximum obtinet, fieri longiorem, rectum, patulum, magis tamen, imprimis in eâ parte, quæ bulbo respondet, angustum, quàm si potentialem sectionem nancisceretur, demùm à corporibus cavernosis hinc & inde longitudinaliter intropressum. 4°. In erectione validiori crescere corporum cavernosorum intumescentiam, duritiem, urethræ



intropressionem; textûs urethræ spongiosi expansionem, indurationem; canalis hujusce tensionem, angustationem maximè ad bulbum. 5°. In erectione debiliori corpora cavernosa, urethræ textum spongiosum, & ipsius canalem ab eo statu, quem sub penis flacciditate ea servant, non satis recedere. Causam erectionis proximam si quæras, hanc tibi sistet sanguinis in cellulis corporum, quibus penis gaudet, spongiosorum influentis ac collecti vis major cellularum resistentiâ. Causæ ipsius remotæ ad duo capita reduci possunt; ad ea nempe omnia quæ 1°. Æstrum venereum accendunt, 2°. Stimulum in organis genitalibus externis internisque excitant; quorum numerosiorem censum brevitatis ergò prætermittimus.

### XVIII.

EJACULATIO feminis ea est spermaticæ emissionis species, quâ rapido jactu ex urethrâ profilit semen. Porro ut debitè exerceatur functio hujusce modi, requiruntur 1°. Spermatis in testiculis secretio, in suis conceptaculis præsentia, in urethram effusio sufficienti copiâ facta, versus balanum directa, 2°. Erectio penis nec debilior nec validior, corporibus cavernosis & urethrâ æqualiter & in directum protensis, 3°. Canalis urethræ, à vesicularum feminalium osculis ad extremum usque balani orificium, contractione simplici, vitio quocumque Chirurgico ipsum angust-



tante, muco nimio, & corpore quovis peregrino liberi tensio, apertio, lubricatio debitæ, citra adauctum ad dolorem usque ipsius sensum, 4°. Liquorum in urethræ glandulis percolatorum, quibus affusis semen diluitur, conveniens miscela, 5°. Efficax vesicularum feminalium contractilitas cum vasorum ejaculatoriorum foramine decenti hiantium libertate conjuncta, musculorum acceleratorum convulsiva ferè contractio, bulbi urethræ resistantiam ab erectione inductam multum superans, nata ex illâ acceleratorum contractione, simul concurrente musculorum erectorum, imò & aliorum actione, corporum cavernosorum & præsertim canalis urethræ validior erectio, atque ita sub majori, ast congruo, parietum ad axim accessu vegetior seminis propulsi expressio, 6°. Tandem præputium sufficienti hians orificio, protuberantiæ cujuscumque in ipso vel balano enatæ absentia, quæ urethræ foramini objecta ipsum imminuere, aut fugaci obturatione claudere valet.

### XIX.

CAUSA ejaculationis seminis proxima nobis est virium ejaculatoriarum energia multò major, quàm est virium antagonistarum resistantia : energiam hujusce modi viribus oppositis multò majorem esse volumus, & eo quidem gradu, qui post superatas resistantias jactui seminis efficiendo par sit. Porro vires ejaculatoriæ sunt contractio mus-  
culorum



culorum acceleratorum, & adaucta canalis urethrae constrictio ex majori, sub acceleratorum, aliorumque musculorum actione, erectionis robore oriunda, concurrentibus vesicularum spermaticarum vi contractivâ, imò juxta nonnullos cremasterum in vasorum deferentium partem funicularem actione, & ductuum semini tranandorum nisu elastico, fortè & contractilitate. Viribus ejaculatoriis resistantiam objiciunt seminis sinceri, aut mucosis urethrae liquoribus mixti justò major crassities, nimia vasorum deferentium & ejaculatoriorum tum in ipsorum tractu, tum in osculis strictura, canalis urethrae inflexio, explicatio insufficiens vel nulla ab erectione debiliori vel prorsus deficiente sobolescens, nata ab eâdem validiori constrictio, angustia tum ab obicibus, quibus ea arctatur, præcluditur, infarcitur, tum à contractione merâ pendens, bulbi urethrae sanguine per erectionem intumefacti tensio, renitentia à musculis acceleratoribus instante ejaculatione superanda, tandem præputii apertura strictissima. Causas ejaculationem remotè producentes ex erectionis principiis satis intelligendas silentio premimus.

## XX.

Quod spectat seminis ejaculationem, hæc nobis sequenti mechanismo videtur perfici. Vigentibus, quæ ad hancce functionem requiruntur,



conditionibus modò assignatis, coïtù, damnandâ penis agitatione, somnio venereo, & similibus, seriùs ociùs ad sui contractionem sollicitatis vesiculis spermaticis, & insurgentibus, quæ glandulas urethræ adjacentes emungunt, potentiis, in ducum hujusce modi exprimitur semen lymphâ urethræ mucosâ affundendum, quibus utcumque permixtis, & ad copiam debitam collectis, in actionem tandem veniunt muscoli acceleratores, quorum validâ ac ferè convulsivâ contractione, accedente corporum cavernosorum & præprimis textûs urethræ spongiosi majori intumescentiâ sub ejaculationis tempore observandâ, simul etiam concurrente nisu proœpnoico viscera abdominalia deorsùm agente, imò machinâ, ut ita dicam, universâ, semen ex urethrâ magnâ vi expressum rapido jactu profilit.

Ex Anatomicis & Physiologicis fontibus hausisse sufficiat, quæ hactenùs protulimus; nunc ad pathologiam devolvimur.

## XXI.

BRADYSPERMATISMUS nobis est feminis, in venere voluntariè, vigentibus utplurimùm voluptatis sensu, & penis erectione exercitâ, tarda nimis emissio, seu sublata ejaculatio. Vitium ejaculationis, ejaculatio depravata, impedita, feminis retentio, tardior excretio, procrastinata, morans, paulatim atque stillando facta emissio, apud



Auctores varios audit hicce morbus: idem sonat verbum huic à nobis attributum quod à vocibus græcis *Bradys* tardus, & *Spermatismos* feminis emissio, deducitur.

## X X I I.

NATURALEM hujusce morbi evacuatorii characterem sistunt sequentia, 1°. Adest actus venereus voluntarius, 2°. Viget ferè semper gratus veneris sensus; nimirum solita utplurimum persentitur voluptas sub feminis in urethram effusi præsentiâ; rarò venerei stimuli justo vividiores, rariùs adhuc plus æquo debiles genitalia tunc temporis vellicant. Notabis vitio urethræ dolorifico, quod observatione non semel constitit, per accidens ita deleri venereum sensum, ut dolor potiùs quàm voluptas feminis effusionem comitetur; neque etiam dolore aliquali voluptatem præcidente vacare erectionem membri virilis validissimam, si corpora cavernosa nodus teneat. 3°. Debita fit ut plurimum penis erectio, quæ, ut de venereo sensu modò dicebamus, rarò supra nativum modum intenditur, rariùs etiam vel nativâ debilior, vel prorsus nulla observatur. 4°. Tarda nimis est feminis emissio, idque modis variis: nunc enim liquoris hujusce ex mutatâ vasorum ejaculatoriorum directione in vesicam urinariam immissi, vel ob obicem verumontano objectum, & principium urethræ penitus occludentem in ipsam reflui pro-



craftinatur exitus, quem sub his circumstantiis una facit urina reddita, semen sibi immixtum abripiens; nunc verò moras etiam necens sperma paulatim atque stillando, solum tamen, effluit. idque longo post voluptatem persentitam intervallo, & non-nisi remittente penis erectione; nunc tandem præfente adhucdum, aut vix cessante veneris sensu, nullâ morâ interjectâ, exit semen lento rivo ex urethrâ stillans. Symptomata alia minus constantia, & speciei huic vel illi propria sub qualibet inferiùs legi possunt.

### XXIII.

VICINI morbo nostro affectus sunt *aspermatisms* seu supressa, aut pauca feminis emissio, *tachyspermatisms*, sive ejusdem effusio nimis cita, tandem gonorrhæa; quorum idcirco nunc veniunt assignandæ à Brady spermatisms differentiæ ut scilicet traditæ diagnosi robur accedat. Porro aspermatisms proprium est quod, sive semen testiculis percoletur, & in suis conceptaculis hæreat, sive ex his neutrum contigerit, nullum prorsus aut paucum omnino, coitus, pollutionis nocturnæ nec-non voluntariæ tempore, aut urinâ postmodum redditâ, emittatur. Cave ne liquoris spermatici effusionem exulare prorsus existimes in iis Brady spermatisms speciebus, in quibus vesicam subit semen à vasis ejaculatoriis eò directum, vel ex obicis urethralis præfentiâ huc refluxuum, statim  
atque



atque urina funditur, simul cum ipsâ emittendum. In tachyspermatismo, venere celebratâ ( quod voluntariè, pene minimùm subarrecto, & cum voluptatis sensu saltem aliquali fit ) cita nimis est humoris prolifici emissio. Notabis in hocce affectu nunc vigere intensiùs & membri virilis erectionem, & gratos veneris stimulos; nunc verò utraque infra nativum ac solitum gradum subsistere: casus hic ultimus in gonorrhæam, cui proximè affinis est, commutatur, si seminis profusio citra voluntatis imperium jam contingat. Tandem gonorrhæam sistit involuntarius, frequens, copiosus effluxus seminis aut liquoris analogi citra venerem effusi, perstantibus non-nunquam, ut plurimùm tamen exulantibus penis erectione & voluptatis sensu. Variat materies emissa, quæ nunc semen, nunc mucus, pus, nunc ex his variè conflatus liquor est; neque unâ etiam ratione contingit effluxus, qui modò creberrimus, subassiduus, stillatitius, modò intervallis sæpiùs repetitis, brevioribus, vel longioribus interpolatus, & quantitate singulis vicibus erumpente notabilis. Sequitur ex dictis potissimum differre Bradypermatismum ab aspermatismo per seminis debitâ circiter copiâ emissi præsentiam, à tachyspermatismo per motum liquoris hujusce modi, dum ejaculandus venit, nativo tardiozem, denique à gonorrhæâ, quod in



venere voluntariâ contingat effluxus Brady sper-  
maticus, vigentibus ut plurimum membri virilis  
tensione, & jucundo veneris sensu.

## XXIV.

ISDEM subjacet Brady spermatismus differentiis  
quas patiuntur varia morborum genera. Hinc re-  
cens, inveteratus, idiopathicus, symptomaticus,  
succedaneus, simplex, virulentiae mixtus, cu-  
rabilis, insanabilis, &c. audit. Variat etiam fe-  
minis emissi tarditas, quod nunc procrastinari  
suprà diximus, urinæ fluente tantum abripien-  
dum; nunc verò citra urinam solum profundi,  
notabili post voluptatem perſentitam intervallo,  
vel interjectâ morâ nullâ aut minimâ paulatim  
exituriens. De variâ membri virilis conditione,  
ac diverso sensûs venerei gradu mentionem non  
inijcimus, quæ bina statum nativum servare ut  
plurimum, ferè nusquam supra evehi, vix ac  
ne vix quidem infra subsistere ex prægressis no-  
tum est. Monuisse præstat præcipuas Brady sper-  
matismi differentias à causis variis, quibus ille  
natales debet, maximè deduci.

## XXV.

CAUSAS hujusmodi satis fit in compendiosam  
tabulam hîc loci cogere, quas, tradito infrâ  
specierum variarum censu, sigillatim sub specie  
qualibet memorare dabitur. Porro Brady sperma-  
tismi causam proximam reponimus in viribus



ejaculatoriis absolutè, vel relativè ita imminutis, ut infra nativum, quo semen cum impetu profilit, gradum subsistant. Causæ autem, ut aiunt, remotæ ad tria capita reduci possunt. Primum est eorum omnium quæ semen vi debitâ è vesiculis spermaticis expressum in vesicam urinariam ire cogunt; qualia sunt vasorum ejaculatoriorum ita mutata per cicatricem directio, ut non balano, sed vesicæ obvertantur ipsorum orificia, obices varii verumontano proximè prætenti, & urethram, quo tempore liquor spermaticus ejaculandus venit, ita claudentes, ut antrorsum progredi nequeat in vesicam refluxo latice reflectendus. Ad secundum referuntur illa omnia quæ seminis debitâ, aut etiam majori virium ejaculatoriarum energiâ expulsi motum retardare, vel magis quàm pro ratione virium jam dictarum incrementi imminuere valent: De hoc genere sunt vitia urethræ varia, quæ sub liquoris prolifici præstandâ ejaculatione, canalem hujuscemodi justo angustiores tantum reddunt, verumontano proxima aut dissita, vel ipsum fugaci obstructione præcludunt balano vicina, nodi corporum cavernosorum, mucus nimis urethram infarciens, præputium orificio hians angustissimo, phymosim inducente maximam, erectio penis validior, hypertonica, tandem epilepsia spasmodica in coitu adveniens. In tertio demum continentur ea omnia,



quæ vires ejaculatorias & erectivas à robore ipsarum nativo plùs minùs dejectas sistunt. In hoc censu habeto fractam musculorum ejaculationi famulantium vim contractilem, integrâ manente penis tensione, sublatam, debilem, non satis persistentem membri virilis erectionem, salvis viribus ejaculatoriis, tandem infirmatas & erectionis & ejaculationis vires. Trinum huncce causarum ordinem non theoriæ figmentis deberi, verùm Auctorum observationibus evinci patebit ex allegandis modò Brady spermatismi speciebus.

#### XXVI.

Quod genericam affectûs nostri prognosim spectat, hanc sequentibus aphorismis includimus. Periculo vacant omnes Brady spermatismi species... Hæ curationem admittunt vel respuunt, prout causæ remediis morigeræ vel refractariæ natales debent... Ex Peyronio sanationis spes nulla est, si à mutatâ vasorum ejaculatoriorum per cicatricem directione, vitium proficiscitur; tolli possunt causæ reliquæ... Faciliùs curantur Brady spermatismi species quæ chirurgica auxilia expostulant... De his quas faciunt vires erectionis & ejaculationis adauctæ idem esto judicium... Difficilioris sanationis sunt quæ vires hujusce modi labefactatas sequuntur, nisi à vitio universali absque labore tollendo labes sobolescat.

#### XXVII.



**TARDIORI** feminis emissioni quænam opitulentur remedia jam nostrum est ut aperiamus: ne autem videamur infrà crambem recoquere, generalia tantùm hîc loci sectari juvat. Universali hacce regulâ tota continetur medendi methodus; ut scilicet tollantur causæ, quibus natales debet *Brady spermatismus*: varia itaque institui debet therapëia, prout è fonte diverso cadunt morbi hujusce evacuatorii species. Auxilia quæ in eo debellando potissimùm suppeditat Chirurgia, sunt candelæ simplices, compositæ, catheteres plumbei, sectio urethræ, qualis ad educendum impactum ipsi calculum instituitur, phymoseos operatio, denique circumcisio. E classe multiplici depromuntur medicamenta varia affectui nostro proficua: Inter ea eminent aquæ Baregieneses, laxantia, refrigerantia, antiepileptica, tonica, roborantia, antiparalytica, stomachica, astringentia, anticatarrhalia, quorum omnium selectus, locus, usus jam superest declarandus.

XXVIII.

**SPECIES I<sup>a</sup>.** BRADYSPERMATISMUS URETHRALIS . . .  
Tarda feminis emissio à morbis urethræ. Peyronii *Act. Acad. Chirurg. T. I. pag. 425 . . .*  
Petit *ibidem p. 434 . . .* Sharpii *Disquisit. Critic. in hodiern. Chir. Stat. p. 205. . . .* Andrææ, *Observ. Pract. de Morb. Urethræ, p. 113 . .* Frid.



Hoffmanni de gravi spasmo & dolore vesicæ obs. V.

Vir triginta annos natus, prole triplici parens intra quadriennium factus, ex impuro coïtu gonorrhæam réportavit, quam diù neglectam, tandem duorum annorum spatio frustraneis remediis successivè vexavit agyrta non unus: hæc præprimis symptomata toto hoc tempore passus est æger, nempe suppressiones & ardores urinæ, effluxus materierum nunc viridium, nunc flavarum, sæpissimè cruentatarum copiosissimos. Fluxum quondam compressit equitatio, accedente in testiculum dextrum decubitu. Æger ad has redactus angustias Peyronium adit; sub cujus regimine, prægressis diætâ, jusculis, ptisanis, aliisque remediis refrigerantibus ac demulcentibus, hydrargyrosim patitur, quam tandem excipiunt aquæ Forgenfes. Elapsis quatuor mensibus, cum perfectè sanitati restitutus sibi videtur, cubile uxorium à morbi initio derelictum repetit, & per biennium servat: interea conjugi ad concipiendum pronissimæ nullâ prole tumuit uterus. Anxius laudatum Chirurgum denuo invisit, ut animi curas, & symptomata gonorrhææ sanatæ addita aperiat, quæ fuerunt hujusce modi. 1°. Inter coëundum, pene licet probè arrecto, jam non semen rapido vibrat motu, quod ante gonorrhæam fecerat. 2°. Liquor spermaticus in urethrâ moras nectens paulatim tantum, & non nisi remittente



erectione stillat, uberius tamen effluxurus, si prematur urethra. 3°. Gratum illum horrorem, ac voluptatis sensum ejaculationis primordia stipari solitum, pari quidem vividitate, ast non ita diù, experitur. De cætero facili ac pleno rivo erumpit lotium; urethræ coarctatæ & carunculis, ut vocant, affectæ ne vel minima adest suspicio; verbo integerrima est sanitas, si impotentiam & tardio rem feminis emissionem excipias. Millenis incassum tentatis remediis, intra quinque aut sex annos, morbi acuti à Brady spermatismo nequaquam pendentis sævitiâ conficitur. Aperto cadavere inventa sunt vasa ejaculatoria, per cicatricem in parte verumontani vesicæ obversâ sitam, à nativâ directione ita deflexa, ut ipsorum orificia non peni extremo, ut solent, sed lateri colli vesicæ dextro obverterentur; atque ita semen è vesiculis emissum, quod nativè versus balanum dirigitur, dextrum colli vesicæ latus impetere coge batur.

Integra erat penis erectio, neque ferè solito minor voluptatis sensus in viro, qui, Petito memorante, gonorrhæam probè curatam semel passus, dein neque in coïtu, neque in nocturnis pollutionibus semen ullum valebat effundere. Urinæ emissio ipsi statim lenta ac stillatitia, dein saliens spiris duabus oppositis, tandem lineam curvam solitariam efformans, redeuntibus, cùm remittebat



vis expellens, spiris præfatis, & tandem, ut ad mictionis exordium contigerat, lotii extillatione. Urethram prope vesicæ collum cicatrice difformi ac crispâ arctatam gestabat; quod ex resistentiâ, quam urinis ibi loci objici persentiebat æger, & ex catheteris, imò & candelarum ultra locum affectum à Chirurgo adigendarum impossibilitate, pronum erat concludere. Falsò credebatur æger sibi per alvum semen excerni, errori fidem faciente fecum mucosæpiùs mixtarum descensu; quod tamen & in coïtu & in pollutionibus è vaporum ejaculatoriorum osculis exiens motu refluxo vesicam subibat, primâ, secundâ, imo & tertiâ vice quâ fundebatur lotium, cum ipso expellendum, & in matulâ, salvis ipsius colore & consistentiâ, reperiundum. Notabis quod quotiescumque semen habebat vesica, urina lentius adhuc & irregulariùs, quàm modò diximus, emitteretur; imò si statim à coïtu instabat mingendi desiderium, mictionem aliquandiù manere cogebatur æger, urinis continuò fluere nesciis.

Difficilem admodum, & stillando factam feminis in vesicam non refluere, ut in præcedenti ægroto, emissionem, ferè cessante voluptatis dolore aliquali mixtæ sensu contingentem, & contractæ ante annos quindecim gravi gonorrhææ succedentem, in alio homine observabat idem Petitus. Ita tenui fluebat urina rivulo, ut vesicæ penitus.



penitùs evacuandæ longissimum tempus absumeret æger.

Alios vidit modò laudatus Auctor gonorrhæas passos, & urethræ angustatione laborantes, quibus ita lento motu efferebatur semen, urethrâ tamen propter sufficientem obicis à vesicæ collo distantiam continendum, ut non-nisi deletò penitùs voluptatis sensu exituriret; imò non nunquam præ summâ urethræ coarctatione per horæ quadrantem stillandi finem non faceret.

Apud Hoffmannum reperitur casus hominis 37. annos nati, aliquoties gonorrhæam passi, qui post ischuriam tribus vicibus toleratam, & debitis remediis depulsam, fili tenuissimi instar per certa intervalla urinam emittebat; circa quam hoc erat notatu dignum, quod hæc priùs subsisteret; dein sonitu præcedente cum impetu prorumperet: semen verò, dùm ipsi veniebat ejaculandum, ad urethræ orificium pariter subsistebat, postea sensim exstillans & indusium madefaciens: Prostatae vitium accusat Auctor prælaudatus.

Refert Andræas casum viri 46. annos nati, qui post gonorrhæam incidit in genitalium gravitatem dolorificam, difficilem urinæ filo inæquali prodeuntis emissionem, erectionis difficultatem, & ejaculationis tarditatem, cathetere obicem skirrosus in urethræ bulbo, & ulcus cancrosum in prostatâ detegente.



Ex Sharpio, arctatâ per obices urethrâ, si semen è vesiculis spermaticis inter coëundum emissum in vesicam urinariam dirigatur, aut reflectatur, moras nectit liquor prolificus, non exiturus, nisi urinæ fluento abripiatur; si autem in urethram recipiatur sperma, cessante erectione, stilandò ac solitariè effluit. De hoc ultimo genere plurima vidit exempla Auctor prælaudatus, qui notatum vult symptomata præfata rarò constantia esse, ægroto nunc liberè, nunc verò paulatim semen effundente.

Character hujusce speciei deducitur. 1°. Ex signis genericis. 2°. Ex vitio urethræ ipsam angustante. Porro multiplici vitio affici possunt urethræ parietes interni; nimirum intumescentiâ substantiæ, quâ constat, spongiosæ, tumiditate glandularum ipsi adjacentium, varicibus, ulceribus ad margines elatis, spongiosis, callosis, cicatricibus eminentibus, duris, crispis, duplicaturis membranaceis, habenis, contractione, tandem vasorum ejaculatoriorum mutatâ directione. Vitiorum urethræ modò dictorum diagnosi potissimum habetur ex immissione catheteris vel candelæ in urethram, nec-non ex vitio urinæ multiplici sæpissimè observando. Signa, quibus obtineri potest vitii singuli specialis cognitio, hujus loci non est ut congeramus, apud Auctores varios, qui morbos urethræ persecuti sunt, legenda.



Suspiciari potiùs quàm dignosci potest Peyroniana varietas. Prima hæc Brady spermatismi species morbi urethralis, cui debetur, prognosim sequitur; quæ cum ex plurimis circumstantiis, numerosioribus certè, quàm ut hîc recenseantur, varianda sit, ab Auctoribus modò allegatis mutuanda venit.

Speciei hujusce obtinetur curatio si urethræ æqualitas ac diameter nativæ restituantur. Porro adversus vitia urethram angustantia variæ excogitatae fuerunt medendi methodi, quarum præcipuas indigitabimus.

1°. Exoleverunt corrosiva candelarum ope urethræ immissa, quæ inutile, periculosum, noxium in hac ægritudinis specie medicamentorum genus hodiè habentur: attamen ægrotos non paucos obicem in urethrâ gerentes, candelis ex linteamine cerato factis, subtilissimo fabinæ pulvere ad exiguam vim conspersis levatos, imò & curatos gloriatur Petitus in Act. Acad. Chirurg. curationem obice destructo perficientibus candelis simplicibus, ex emplastro epulotico de cerusâ ustâ, de lino carpto, aut nurembergensi paratis.

2°. Commendat idem Auctor sectionem chirurgicam incisioni lithotomicæ similem, quam successu constanti confirmari, & candelis simplicibus aut catheteribus plumbeis longè præcellere asserit, si ritè instituat. Porro in hunc modum



celebratur sectio hujusce modi. Ægro præparato, & immisso in urethram, dum lotio turget vesica, cathetere fulcato ad apicem aperto, inciduntur cutis & adeps ad duorum pollicum longitudinem; & in catheteris fulcum scalpellus adigitur, qui ad extremum usque fulcum decurrens viam sternit acui tricuspidatæ, ac tubulo pariter fulcato inclusæ, ut in vesicam penetret, facile ac tuto subeundam, si demissâ manu ossium pubis flexura superetur: acu è tubulo extractâ, fluunt urinæ; & ope fulci in tubulo exarati, scalpello inciditur locus urethræ arctatus: absque negotio tunc intromittitur in vesicam cannula exigua, ibi loci relinquenda, donec sufficientem suppurationem passus sit urethræ canalis:eductâ tum cannulâ, per balani orificium intromittitur in vesicam catheter sygmoïdæus, quo effluit lotium, dum cicatrix interea in ipsum efformatur. Sunt qui jam dictam sectionem adhibuerunt, additis corrosivis, quibus denudatum sectione obicem, exesum voluere, frustraneâ prorsus, imò & nocivâ operâ, cicatricem inductam excipiente majori urethræ arctatione.

3°. Deventum est ad remedia mechanica, quibus locum urethræ, angustatum dilatandum fore sperabatur: hinc usurpatæ fuerunt turundæ cerâ aut unguento oneratæ, & sensim incrassandæ, quæ filo alligatæ, ut extrahi possent, ope can-  
nulæ



nulæ argenteæ cavo donatæ & utrinque apertæ, nec-non styli, quo pelli possent, ad usque contractionis sedem, adigebantur: educebatur tunc cannula, relictâ super obicem per horas aliquot turundâ, quæ iis elapsis, ope fili extrorsum penduli extrahebatur. Experientiâ compertum est loci affecti dilatationem partium urethræ utrique turundæ extremo respondentium contractione excipi. Hinc etiam in usum vocati sunt catheteres plumbei, qui primùm tenues, sensim crassiores in urethram immitti debent.

4°. Tandem his omnibus palmam furripuerunt candelæ simplices & compositæ, quales habet Daranius, Goulardius, Sharpius, &c. Si-lemus ingredientia, quibus constant, modum quo componuntur, dimensiones quibus gaudent, variam ipsarum adhibendarum rationem, tempus in ipsarum applicatione infumendum, aliaque id genus apud citatos Auctores passim legenda. Sequentia circa variarum candelarum usum satis sit annotasse. Candelæ simplices, è telâ scilicet & cerâ tantùm factæ, præstant semper catheteribus plumbeis; & sæpissimè malo depellendo sufficiunt: ratio est, quod obices urethram arctantes sunt ut plurimùm hujusce canalis varices, quas premunt, sustentant, delent citra irritationem candelæ hujusce modi. His etiam, nec-non catheteribus plumbeis gradariè incrassatis cu-



ratae sunt urethrae contractiones. In casu glandularum urethrae tumentium, cicatricum elevatarum, ulcerum margine tumidorum, calloforum, intumesceniarum textus urethrae spongiosi induratarum, & similium, candelae Daranianæ, Goulardianæ curam & citius & certius expediunt: dolendum quod irritatio modo major, modo minor earum usum sequatur: huic occurritur, quantum fieri potest, si candelis varia impertiatur energia, & à mitioribus ad potentiores successivus fiat transitus.

Aquarum felteranarum usu ad plures menses protracto pro potu ordinario suum ægrotum cum sanitate in gratiam reduxit Hoffmannus.

## XXIX.

*SPECIES II.* BRADYSPERMATISMUS NODOSUS . . .  
Tarda feminis emissio à nodis corporum cavernosorum. Peyronii *Act. Acad. Chirurg. T. 1. p. 428* . . . Nova pudendi distorsio. Schenkii ex Arantio *de Tumor. præter natur. cap. 50* . . .  
Nodus penis Clar. Lieutaudii, *Compend. Med. pract. p. 533.*

Pluriès observavit Peyronius in corporibus cavernosis protuberantias nodis aut gangliis similes, duras, indolentes, erectionem ita depravantes, ut si seriem efforment concatenatim dispositæ, difformis ac gibbis plena sit mentula arrecta; si medium corpus cavernosum dextrum, sinistrumve



occupent, dextrorsum, vel sinistrorsum incurvetur penis erectus; fursum verò aut deorsum, si supernam aut infernam eorundem corporum partem teneant. Vigente jam dictâ corporum cavernosorum labe, dolore quandoque non vacat erectio validissima; nusquam exinde impeditur liber urinarum fluxus; seminis ejaculandi non eadem est ratio; quod, etsi è vasis ejaculatoriis effundatur cum vi debitâ, & non minori fortè voluptaris sensu; attamen ex urethræ orificio stillat, remittente erectione tantum, longove post voluptatem perceptam intervallo paulatim effluere incipiens. Vide observationes à Peyronio relatas loco citato. Hunc Brady spermatismum specificè determinat nodi præsentia, qui vigente erectione facilius cognoscendus, & pro causâ cellularum quarundam corporum cavernosorum laxitatem agnoscens, earum est quædam herniæ species ex celeb. Lieutaudio, potius corporum cavernosorum quasi aneurisma dicendus. Nodi penis virus veneri ut plurimum soboles sunt; hos tamen in duobus viris nullâ usquam labe cypriâ tactis observavit Peyronius; imò & in senibus, qui fervidiori temperamento plus æquo indulserunt, rara sunt hujusce affectûs exempla. Emollientibus ac resolutivis variis auscultari renuunt hæ protuberantiæ: neque venereas ipsas fugat hydrargirum. Aquarum Bellilucanarum, Borboniensium



vim eludit malum, folis Baregiansibus resistere nescium. Ex Peyronio itaque in protuberantias hujusce modi instituendæ sunt multiplices embrocationes, qualibet tempestate iterandæ, donec penitus evanuerint: redit tunc peni arrecto forma nativa; & emissio semini jactus celer & saltuosus. Notabis fallere in casu venereo efficacissimum hocce remedium, si prius adhibeatur quàm, hydrargyroseos ope, ex humorum massâ penitus exulet labes syphylitica: hanc, ubi unctionibus mercurialibus debite celebratis debellaveris, aquas præfatas integer in nodos superstites manebit successus. Probat sexta Peyronii observatio.

### XXX.

*SPECIES III<sup>a</sup>. BRADYSPERMATISMUS PRÆPUTIALIS sive PHYMOSICUS . . .* Tarda feminis emissio ab angustiori præputii orificio. Schenkii ex Arantio *de Tumor. præter. natur. cap. 54.*

Pars præputii extrema, vitio vel congenito, vel accidentali, ita exiguo foramine prædita esse potest, ut non solum glandem detegi prohibeat; verum etiam urinæ interdum expulsionem, & feminis ejaculationem remoretur, ubi præsertim orificium præputii glandis foramine angustius est. Testatur Arantius se non semel vidisse homines ob præfatam præputii strictionem tardiori feminis emissionem, & impotentia laborantes, adhibitâ  
convenienti



convenienti medelâ semen jactu debito profudisse, & prolificos factos fuisse. Porro hæc ipsi non alia fuit, quàm sectio chirurgica, quâ phymosis veneris auxiliis incruentis immorigerus tollitur. Præputii strictionis nimie accommodatum pariter præsidium est circumcisio. De binâ hacce operatione legantur Auctores Chirurgici. Notabis præputium orificio angustius ex utero allatum ætate crescente sensim & spontanè ut plurimum dilatari; neque modò dictis operationibus locum esse, nisi in viris, quibus vitium hocce, nec spontè, nec remediorum mitiorum ope evanuit.

## XXXI.

*SPECIES IV<sup>a</sup>. BRADYSPERMATISMUS MUCOSUS sive CATARRHALIS . . .* Tarda seminis emissio à muco urethram infarciens. Observante D. S<sup>\*\*</sup>. perito hujusce urbis Chirurgo & Reg. Scient. Societ. Sodal.

Viro annos 40. nato, vegeto, cæterum fanissimo, ita augebatur liquoris mucosi vesicam internè oblinientis, & lymphæ viscidæ per urethræ glandulas percolatæ excretio, ut muco per penis expressionem stillante inferciretur urethra; & hujus copiam maximam urinæ secum foràs educerent. Supra quartam urinæ emissæ partem ferè ascendebat mucus ipsi mixtus. Morbus erat qui cum albo mulierum fluore magnam alit conve-



nientiam; neque multum abludebat ab illâ gonorrhææ nothæ specie, quam benignam vocat Frid. Hoffmannus, catarrhalis verò nomine salutant Auctores non-nulli ex Etmullero. Similem morbum Frid. Hoffmannus sub titulo rari vesicæ affectûs, & celeb. Lieutaudius sub vesicæ fluxûs catharrhalis nomine describunt. Id verò discriminis inter Auctorum modò laudatorum agrotos & nostrum intercedebat, quod in nostro, simili vitio vesica simul & urethra tentarentur; & exularent dolor vesicæ, ardens mictio, & acrimoniæ signa. Cave pro vesicæ calculo, renum ac vesicæ ulcere, & gonorrhæâ verâ cum excretionemucosâ combinatâ affectum vendas de quo loquimur. Catarrhus fuit vesicæ & urethræ. Partes hujusce modi eâdem laborare posse defluxione, quæ in narium, oris, bronchiorum membranas sæpissimè depluit, credunt magna nomina Lieutaudius & egregius SENACUS. Porro sequentia incommoda patiebatur vir jam dictus, si coïtu aut masturbationi, cui plurimùm fœdè litaverat, indulgeret. Probè ipsi erigebatur quidem virile membrum; grato veneris sensu, minùs licet quàm antea intenso, titillabantur genitalia: ast quod olim ipsi rapido jactu evomebatur semen, hoc jam muco irretitum ac permixtum sensim reddebat urethra, citra tamen interjectam à voluptate perſentitâ moram. Caractèr specificus ex signis



genericis deducendus venit, & catarrhi præsentia  
cujus prognosim species hujusce modi sequitur.  
Hanc curabis, si vesicæ & urethræ catarrhum no-  
veris depellere. Atqui huic competunt varia re-  
mediorum genera, quæ leucorrhææ acrimoniæ  
experti proficiunt; nec-non ea medendi metho-  
dus, quâ gonorrhæam catarrhalem debellari  
vult Etmullerus. In casu Lieutaudio natura &  
expectatio morbo sanando satis fuerunt. Aquas  
spadanas, essentiam cascarillæ succini essentiæ  
maritatum, succinum præparatum, potum ex sal-  
saparillæ, scorzonæræ & similium decocto ægro  
suo injunxit Hoffmannus.

## XXXII.

*SPECIES V<sub>a</sub>. BRADYSPERMATISMUS HYPERTONICUS . .*  
*Tarda seminis emissio à validiori penis erectione . .*  
*Seminis in actu venereo retentio. Cockburnii*  
*Æt. Edimburg. T. I. art. 35.*

Nobilis venetus annos natus duos & viginti,  
cum muliere pulcherrimâ, quæ sibi in uxorem  
cesserat, rem habens, semen nusquam ejaculari  
poterat, quamvis per insomnia pollutiones noc-  
turnas pateretur. Quod cum sibi & parentibus  
curam injiceret, frustra tentato Medicorum ve-  
neterum auxilio, per legatos Reipublicæ in variis  
Europæorum Principum aulis degentes consilium  
à famigeratissimis Medicis petiit, ut sibi causam  
& remedium tam stupendi aperirent mali, quod



vigilantem eâ defraudabat facultate, quâ pollebat dormiens. Visum est Cockburnio morbum hærare in urethrâ, quæ inter coëundum per validiorem erectionem ad obturationem usque ferè constricta, tantam feminis exitui objiciebat resistantiam, quantam vincere non poterat liquor hujusce modi in ipsâ effusus & per potentias ejaculatorias propulsus : in insomniis verò ob minùs validam penis erectionem, urethrâ non arctè adeò constrictâ, semini erumpenti congrua patebat via. Ex Bradyspermatismo spasmodico-epileptico intelligi possunt & modus, & tempus, quibus sub æstri venerei remissione effundebatur semen. Morbum debellarunt diata tenuis, refrigerans, humectans, nec-non leves evacuationes.

## XXXIII.

*SPECIES VI.* BRADYSPERMATISMUS EPILEPTICUS. .  
Tarda feminis emissio ab epilepsiâ spasmodicâ in coïtu adveniente, observante D. B\*\*\*. Doct. Monspel. Clariss. & in Nosocom. Sti. Eloisii, Med. vicar.

Vir quadragenarius temperamento sicco donatus, amatæ conjugii nuptus, absque prole erat ab annis duodecim : cujus uxor causam sterilitatis suæ, quæ ipsa erat viri impotentia, ut Medico prælaudato aperiret, narrabat, 1<sup>o</sup>. Quod maritus ad rem veneream capeffendam alacris,  
cam



eam tantâ petulantia persequeretur, ut ad medium opus in ipsam concideret totis membris rigidus, sensu & loquelâ orbatus, & gravis adeò factus, ut in alteram lecti partem præ oneris impatientiâ viribus collectis ipsi excutiendus veniret. 2°. Quod per novem decemve annos adeò brevis paroxysmus fuerat, ut prima vice ad se rediret sponsus, dum ipsa timore perculsa opem admoveere festinabat. 3°. Quod à duobus tribusve annis invaluerat malum, accedente scilicet oris spumâ, neque tam citò sensu redeunte. 4°. Quod tandem, remittente corporis rigiditate, effluebat semen ex urethrâ paulatim, & membro flaccido exituriens. Frigida in lumbos denudatos paroxysmi tempore ex alto ad tres vices projecta epilepsiam non fugavit : observatum est tantùm modò hujus stimulo epilepticum cogi, ut artus inferiores retraheret. Ad morbum debellandum varia usurpata sunt remedia, nimirum venæ sectiones iteratæ, cathartica pluries repetita, balnea ad plures menses protracta, juscula refrigerantia, lacticia; quibus minùs proficientibus, tandem ex consilio Illustrissimi hujuscè Lycæi Professoris D. de Sauvages, radix Valerianæ Sylvestris ad tres menses in infuso, & in substantiâ exhibita fuit. His omnibus peractis ( erat annus quo celebs vivebat ) plenariè convaluit, rem jam habens cum uxore integram, mente ac sensu illi-



batis, & rapido jactu proficiente femine.

# XXXIV.

*SPECIES VII<sup>a</sup>. BRADYSPERMATISMUS APRACTODES...*  
 Nimis tarda feminis excretio à genitalium ignavia. Etmulleri, *de Morb. viror. cap. 2. pag. 459...*  
 Vesslingii *epistolæ & observationes epist. 38...*  
 Aëtii *tetrab. 3. serm. 3. cap. ultimo...* Marc.  
 Donati; *Hist. Med. mir. 18. cap.* Mathæi de  
 Gradi, *consil. 69...* Amat. Lusitani, *centur. 11.*  
*cur. 18. & 81...* Foresti, *lib. xxvi. obs. 18.*  
 & 19... Schenkii ex Hollerio, *lib. iv. de im-*  
*pot. vener, &c.*

Hujusce speciei duæ sunt insignes varietates :  
 in alterâ viget penis erectio toto veneris tempore ;  
 una in culpâ est emissio feminis, quod paulatim  
 ac lento rivo funditur. In alterâ, præsentè etiam  
 feminis emissi tarditate, peccat membri virilis  
 erectio, quatenus vel nulla prorsus est, vel debilius  
 fit, vel ante absolutam venerem cessat, ipsâ  
 ineunte sufficiens : posterior hæc nunc à solo  
 erectionis vitio, viribus ejaculatoriis illæsis, fo-  
 bolescere potest, nunc verò cum priori varietate  
 combinari.

Juvenes duos scelestæ masturbationis consuetu-  
 dini mancipatos lues syphylitica veneris impuræ  
 non semel exercitæ condigna merces, hydrargi-  
 rosim pati cogebat. Unctionibus præfuit Medicus  
 Monspeliensis; quibus ritè adhibitis, omnia fu-



gabantur venerea symptomata, viru, quantum credere licuit, penitus depulso. Porro istud fuit litus mercurialis confectarium. Quamvis æquali ac pleno rivo efflueret lotium; nec ulla foret obicis urethram arctantis suspicio; quamvis penem uterque eâ, quâ par est, validitate & constantiâ arrigeret; attamen nec coïtus, nec manus nefaria potuit, elapsis etiam pluribus ab hydrargirofi mensibus, semen elicere rapido jactu vibratum, verum lento rivo emissum: alter tantum, si per biduum triduumve ipsi venus omnis intermitteretur, ejaculatione gaudebat, non strenuâ quidem, attamen sufficienti, prorsus delenda, si semen sequentibus diebus effunderet: isti præterea scrotum maximè propendebat; & ex urethrâ stillabat humor serosus hydrargirofi superstes, quem etiam minuebat veneris abstinentia: adeò instrumenta ejaculationi famulantia in duobus his juvenibus mercurii actione imbellia facta fuerant. Jam verò quæri potest, num fracto harumcè partium tono utrumque malè habuerit mercurius? Certè in juvene, cui feminis ejaculatio veneris intermissione restituebatur, omnia laxitatem clamare videntur; & observatione multiplici constat hydrargirum id nocumenti genus non rarò inducere: at in altero juvene utrum ab eodem fonte, an verò à filamentorum nervorum ad musculos ejaculationi famulantes ten-



dentium exsiccatione, quam etiam plurima stabiliunt observata, vitium profluxerit, peritorum esto judicium. Remediorum omnium instar utrique fuerunt veneris abstinencia & expectatio; nec medenti licuit, ex ignoto auxiliorum horumce effectu adversus præfatam seminis emissi tarditatem, morbi ætiologiam conjectare. Veslingius hominem vidit, qui, pene licet erecto, semen in coïtu non potuit effundere; pene autem jam flaccido, illud spontè, & ad levissimum genitalium muliebrium contactum excrevit: circa penis radicem solita non percipiebatur à musculis tensio, qui in hocce casu flaccescebant. Legi possunt Historiæ ab Aëtio, Foresto, Marcello Donato relatæ, in quibus similis ejaculationis defectus, vigente licet penis erectione, memoratur.

Circa alteram hujusce speciei varietatem non ita diù immorabimur, quæ passim apud auctores occurrit. De hac observationes habent locis citatis Hollerius, Forestus, Amatus Lusitanus, Mathæus de Gradi, aliique; & speciali capite in libris practicis quàm plurimis descripta, atque curata reperitur. Exemplis allegatis addere tantum juvat casum viri nobilissimi penis erectione orbati, & semen lento rivo emittentis, quem emplastro stimulante curavit Medicus Monspelienfis praxi plurimâ juxtâ & felicissimâ commendandus. Brady spermatismum apractodæum potiori  
jure



jure locum habiturum fore, si peccent simul & erectionis & ejaculationis vires, observare super-  
vacaneum est : ægroti, de quo in Boërhaavii  
consiliis mentio injicitur, hæc fuit conditio,  
priùsq̃uam in gonorrhæam à nimiâ feminis pro-  
fusione inductam incideret. Varietatis posterioris  
cum priori combinatæ exempla non congerimus,  
potè quæ ex simplicibus facilè intelligitur.

Singularem hujusce speciei characterem sistunt  
fractæ erectionis, ejaculationis, vel utriusque vi-  
res. Manifestum est erectionis deficientis, infir-  
matæ, non satis persistentis vitium. Vires ejacu-  
latorias labefactatas esse potissimùm cognoscitur,  
1°. Exploratâ sub feminis emissionem, imò sub  
guttularum urinæ ad mictionis finem in urethrâ  
restitantium ejectione vibratoriâ, penis radice,  
quæ minùs intendi, debiliùs contrahi, imbecil-  
liùs concuti percipitur. 2°. Ex minori quàm vulgò  
inter ejaculandum observari solet, urethræ &  
balani intumescentiâ. 3°. Ex defectu causarum,  
quibus species Brady spermatismi reliquæ natales  
debent. 4°. Ex principiorum prægressione quibus  
debilitas, dyscinesia inducuntur, quæ, præ maxi-  
mo ipsorum numero, hîc non recensenda, ex aliis  
morborum generibus petenda sunt. Si cum erec-  
tionis defectu aut debilitate combinentur modo  
dicta, varietatem hujus speciei alteram cum primâ  
complicari indicium est.



Brady spermatismi apractodæi curatio adversus causas erectionem, ejaculationem, vel utramque impediētes dirigenda est: quæ cum numero luxurient, & de cætero apud auctores plurimos ipsarum expugnandarum ratio declaretur, in aperiendis, quæ ipsas tollunt, auxiliis operam non locabimus, brevitati studentes. Monuisse in universum satis sit, sæpius in hac specie stimulantibus, roborantibus, antiparalyticis, excitantibus, aliisque id genus medicamentis locum esse.

## XXXV.

Brady spermatismi consuetudina, habito ad generationis opus respectu, superest ut concutiamus, antequam de tabulâ manum tollimus. Ut mulier ad concipiendum idonea fecundetur, alii necessariam esse volunt seminis quoad quantitatem & qualitatem probè constituti in uterum ejaculationem; alii eam necessariò non requiri, & meram in vaginâ effusionem satis esse posse contendunt. Pugnant utrinque magna nomina. Nos verò litem decretoriâ nullâ ratione hinc vel inde solvendam sub iudice relinquimus, sequentia observatione duce, & ratione auspice circa præsentem quæstionem statuentes. Perspicuum est primâ Brady spermatismi specie ad fecundationis opus ineptum reddi virum, quotiescumque non effluit semen, nisi ab urinæ fluente abreptum, atque ipsi immixtum. Quod ad reliquas attinet hujusce



morbi species, etsi certò constaret feminis ejaculationem ad fecundationem necessariò non requiri; atque ita virum Brady spermatismo tentatum proli creandæ parem esse; nihilominùs experienciâ duce eum liberis orbatum iri pronuntiandum foret: Enim verò si historias omnes de tardiori feminis emissionem ab auctoribus relatas perpendimus, videre erit inprolificos fuisse quotquot eo affectu laborarunt, quamvis ex his plurimi ante Brady spermatismi accessionem sobole gauderent procreatâ, & eo depulso, impotentia fugata fuerit. Hinc elucescit in quàm gravi ac momentoso argumento nostra versetur Dissertatiuncula, quæ scilicet vitium gentis humanæ propagationi infestum exponere, illustrare, depellere fatagit.

*F I N I S.*





# ARGUMENTABUNTUR

## R. R. D D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT,  
*Cancellarius & Judex.*

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus.*

R. D. ANTONIUS FIZES, *Pro-Decanus.*

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.



In Novembre et Décembre 1776 et en  
Janvier et février 1777 il y eut deux qui  
disputèrent pour la chaire de professeur  
en médecine vacante par la mort de

M. Venet

On trouvera les titres des deux questions

par M. Vigoroux et quelques autres les gages  
de médecine, voici celle de M. Sabatier

Quoniam detur relata influxu inter opus  
digestiones in ventriculo et intestinis, utque  
affectus conjuncti aliarum partium corporis  
remant.

2. Theoriam caloris animalium exponere

3. An de vi vitalium seminalium

4. De palpitationum cordis varietatibus, specie

et harum theoriam et physiologiam exponere

5. An de vi majori et minore leuissimi morbiola.

6. Sedetne animus in cerebro, an de

7. Num in curandis lucis venarum

8. Vtrum pro diversis curi tudinibus de repletoria

9. Vtrum in morbo acut. damnanda sunt melior. usus.

10. Quando nam in hoc morbo huius gravidatum usum

pranda sint narcotica quando nam vera

11. An convulsio animalium sit perniciosa quam

que à repletionem. et quibus auxiliis uti que succurrendum.

12. An a pulsu, an a respiratione Diagnostica et prog-  
nostica, in morbis pectoris, sint emenda.

M. Viala et sus bache ont chacun un exemplaire



13 15 37 *Thesauri de Arte Arca groupal. D. m.*

Quarum sint rationes et causa inaequalis hominum  
mortalitatis pro diversis anni temporibus et vita praevia is?

2. Theoriam somni tradere.

3. an certa detur secretionum theoria? an propter hu-

manam theoria ignorationem aut praeter millionem aliqui

2. quoniam quae accideret sub ipso artis exercitio?

4. an doctrina evasum imo dixerit. Itaque proliit et debeat  
una cum legibus medicina prudenter activa?

5. Vomitus pertinacis ac chronici causam &c. tradere.

6. an variae aquar. mineral. species arte liceat imitari.

7. num in Borace naturaliter existat sal sedativum &c.

8. utrum Montpellierense solum medicamento morbis

omnibus accommodare suppeditare possit?

9. an per analysin chymicam, an per odores et vapores

an de tuto erui possint vires plantarum?

10. an eadem morborum genera existant in diversis

tema locis sed solummodo differentias accidentales

recipiant in singulis pro influence climatis &c.

11. sub quibusnam circumstantiis lupra ferro

vel causticis tractanda?

12. An phthisis pulmonalis confirmata morbus

insanabilis sit et num remedia etiam receptissima

propter aegrotantis potius accelerent quam

retardent?

13. Quomodo sint, quomodo ordiantur et quomodo

evadant morbi in genere et in specie?



Theses P. Lemaire de la Tour Barleide. &c

1. Describere primas lineas vere therapie fluxionum
2. Num plurimæ phthises pulmonales confirmatæ, tum quæ producuntur ab ulcere pulmonum, tum quæ ab ipsorum statû ulceroso generalius dicto, perfecte sanabiles sint, modo non curentur methodo tritissima, quæ solèem præstesse palliativa, sed juxta diversas medendi methodos illarum phthisium diversis speciebus appropriatas?
3. An detur correlatio causæ et effectus inter morbos et tempora mentis ævulgo dicta?
4. An certum sit dari morbos alios a bile, alios a pituita &c?
5. Utrum calces antimonii encheiresi quacumq. fuerint tractatæ, certum mineralis illius virtutem retineant?
6. Num ex lacte porci diverso, quæ animalia nutriuntur, pabula, variæ possint medicæ adimpleri indicationes?
7. Quæ nomina sint requisita ut tuta et utilis fiat medicina plantarum stupefacientium &c?
8. An ex theoria Diabets, certa possit institui <sup>illius</sup> Therapia?
9. Canceri mammarum theoriâ et therapiâ exponere.
10. Sub quotuplici respectu utile sit medicis cognoscere successiones morborum.
11. An vires mechanica concurrant cum viribus vitalibus ad functionum exercitium, et quasnam vitales, quasnam mechanicas in hac provincia sint partes æquæ?
12. Diuturnitatis febvis intermittens autumnalis causas exponere, et numquid in illa hyeme præsertim tantè satius sit nullam quam ullam adhibere medicinam?



